Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ecclesiastes

Sicut stultus et stulti et omnis occasus erit quid multum prodest quod maiorem sapientiae dedi operam loquutusque cum mente mea adhuc inuenit quod hoc quoque esset uanitas. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum et futura tempora obliuione cuncta pariter operiunt. Morietur doctus similiter et indoctus. Idcirco tedet me uitae meae intuentem mala esse uniuersa sub sole et cuncta uanitatem atque afflictionem spiritus. Rursus detestatus sum omnem industriam meam qua sub sole studiosissime laboraui habiturus heredem post me quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit. Et dominabitur ei tam laboribus meis quibus desudauit et sollicitus fuit et est quidem tam uanum. Unde cessauit renuntiauitque cor meum ultra laborare sub sole. Nam cum alius laboret in sapientia et doctrina et sollicitudine et hominem otiosum quaerat dimittet. Et hoc ergo uanitas et magnum malum. Quid enim proderit homini de uniuerso labore suo et afflictione spiritus qua sub sole cruciatus est cunctis diebus eius doloribus et erumpnis plenis sunt nec per noctem mente requiescit. Et hoc nonne uanitas est. Nonne melius est comedere et bibere et ostendere animae suae bona de laboribus suis et hoc de manu dei e-

quis ita uorabit et deliciis affluet ut ego. Homini bono in conspectu suo dedit deus sapientiam et scientiam et laetitiam peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam ut addat et congreget et tradat ei qui placet deo. Sed et hoc uanitas et cassa sollicitudo mentis. III

Omnia tempora tempus habent et suis spatiis transeunt uniuersa sub sole. Tempus nascendi tempus moriendi tempus plantandi et tempus euellendi quod plantatum est. Tempus occidendi et tempus sanandi tempus destruendi et tempus aedificandi. Tempus flendi tempus ridendi tempus plangendi et tempus saltandi. Tempus spargendi lapides et tempus colligendi tempus amplexandi et tempus longe fieri a amplexibus. Tempus acquirendi et tempus perdendi tempus custodiendi et tempus abiciendi. Tempus scindendi et tempus consuendi tempus loquendi et tempus tacendi. Tempus dilectionis et tempus odii tempus belli et tempus pacis. Quid amplius habet homo de labore suo. Vidi afflictionem quam dedit deus filiis hominum ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo et mundum tradidit dispositioni eorum ut non inueniat homo opus quod operatur deus ab initio usque ad finem. Cognoui quod non esset melius nisi letari et facere bonum in uita sua.